De carmimibus, quae vulgo Homeri nomine feruntur, literarum notis non ab auctore suo consignatis

pauca disseruit

sub discessum e Gymnasio Hamburgensi

LUDOVICUS STRAUCH

Philologiae et Theologiae studiosus

Hamburgi, 1805.

Typis exscripsit Theoph. Frider. Schniebesius, Amplissimi Senatus, Gymnasii et Joannei Typographus.

Viris Summe Venerandis, Doctissimis, Clarissimis

JOANNI JACOBO RAMBACH,

Theologiae Doctori, Ministerii Ecclesiastici Seniori,
Pastori ad St. Michaël. et Scholarchae

HENRICO JULIO WILLERDING,

Pastori ad St. Petri et Paulli et Scholarchae

RUDOLPHO JÆNISCH,

Pastori ad St. Catharinae et Scholarchae

JOANNI JACOBO SCHÆFFER,

Pastori ad St. Nicolai et Scholarchae

BERNHARDO KLEFEKER,

Pastori ad St. Jacobi et Scholarchae

has qualescunque studii in graecis hactenus collocati primitias
cum omni, qua decet, reverentia
pietate et observantia obtulit

Auctor.

Cum diu animo perpendissem ac volutassem, quamnam eligerem materiam, de qua, ad studiorum meorum rationem patronis meis in discessu in Academiam probandam, publice dissererem, quaestionem hanc suscepi gravissimam: num Homerus arte sit scriptoria usus; sive, num hujus usum aeque atque cognitionem tenuerit; non tanquam aliquid novi hac in re dicere possem, sed facultatis meae qualiscunque, aliorum inventa et cogitata colligendi et exponendi specimen aliquod exhibiturus.

Priusquam vero quaestionem ipsam aggrediar, breviter mihi perlustranda ac recensenda videtur sententiae hujus historia, laudandique viri, qui prae ceteris in utramque partem de ea re disseruere. Alexandrinos jam criticos quaestionem hanc examinasse sententiamque de ea tulisse mihi faventem opinor. Nequeo equidem testem afferre disertis verbis hoc tradentem, argumentorumque gravium pondere probantem, haud vero injuste provocare mihi videor ad Eustathium. Etsi enim hic tacet hac de re; me tamen haud cupide silentium ejus ad meas interpretando trahere partes patet tum ex iis, quae Eustathius commemorat de recentiore literarum usu ad Il. VI, 168 et VII, 175, tum ex iis, quae Josephus contra Apionem libro I. ac Schol. ad Dionysium Grammaticum in Villoisonii Anecdot. gr. T. II. p. 182 tradunt: quae omnia ad Alexandrinos referenda esse infra docebo. Cum vero una cum illa alexandrina schola critices interiret vix inchoatum studium, neque in illa temporum barbarie ab aliquibus doctis uspiam revocaretur, haec quoque quaestio per multorum seculorum seriem omissa est ac neglecta, usque dum *Woodius*, anglus, summa ingenii et doctrinae instructus subtilitate, iterum proferre eam auderet. Hujus vero sententia eo magis digna est, cui assentiamus, cum constet, eum tantam, ut ita dicam, familiaritatem cum Homeri contraxisse ingenio, ut ejus vim indolemque animo plane tenuerit perspectam cognitamque. Prodiit ejus Essay on the original Genius of Homer Londini 1769 ed. 2. emendat. 1775 (recensuit *Heyne* in ephemerid. Gotting. Part. 32

a. 1770) translatus in linguam vernaculam a. C. F. Michaele, Francof. ad Moen. 1773. Secuti sunt hanc Woodii sententiam viri ingenii solertia celeberrimi: *Adelungius* (in libro de historia culturae generis humani Lips. 1782 sect. III. §. 19. p. 141.) *Koeppenius* (de Homeri vita carminibusque p. 36) ac *Bentlejus* (v. Biblioth. angl. T. I. 414 sq.) Duo viri prae ceteris posthac horum opinionem refellere conati sunt: *Wiedeburgius* in singulari commentatione, an Homerus noverit literas, Helmstadiae 1785. 4. quam inseruit deinde Promtuarii literarum humaniorum Tomo I. p. 143 sq., ac *Harlesius* ad Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 353. Gravissime tum adversus horum sententiam Woodium defendit *Merianus*, qui nova addidit multa argumenta, in dissert. inserta aux Memoires de l'Acad. royale des Sciences et Belles lettres à Berlin anni 1789 p. 515 sqq. Ad exitum denique litem hanc perduxisse videtur sagacissimus et doctissimus criticus, Frid. Aug. *Wolfius* in prolegomenis ad editionem carminum Homeri (v. de his recens. in ephemerid. universae literaturae olim Jenae, nunc Halis editis a. 1796 plag. 33 ac 34. Post Wolfium alii, quamquam pauci, attigere hanc quaestionem magis, quam tractavere. A partibus ejus stant: jam supra memoratus Cens. in ephemer. Jenaens. — *Böttigerus* de inventione papyri, im neuen teutschen Merkur a. 1796 partic. 2 et 3. — *Schneider* ad Orphei Argon. praefat. p. 29. — *Herrmann*: de emendand. rat. Grammaticae gr. — — Refutare eum conati sunt: *St. Croix* refutation d'un paradoxe literaire de Mr. Wolf, Paris 1798. 8. qui libellus etiam germanice versus Lipsiae prodiit. — *Cesarotti* ad finem Iliad. ab ipso italice translatae. — *Hug*, die Erfindung der Buchstabenschrift, ihr Zustand, und frühster Gebrauch im Alterthum. Ulm 1801. m. K. — Britannicus censor Homeri editi Oxoniae 1800 in critic. Review. Februar 1803. *Wassenbergh* in oratione de abusu ingenii; doctissimus denique ac summe venerandus *Heyne* ad novam Iliadis editionem T. VIII. p. 793 sq.

Historia prolatae sententiae iam brevissime adumbrata, ipsa mihi disquirenda est res ac argumenta promenda, quibus adductus eam pronunciare sim ausus. Cum vero arctissime conjuncta sit haec quaestio cum disquisitione de

primis initiis scribendi apud Graecos; hujusque quaestionis diligens examinatio illi quoque discernendae liti summam affundat lucem: quam brevissime exponam, quae ex his mihi ad eam pertinere videantur.

Constat, Phoenices in Graeciam importasse literas. Tum constans fama hoc evincit, tum graecarum literarum cum phoeniciis similitudo. *) *Quo tempore* autem cum Graecis inventum hoc a Phoenicibus communicatum sit ad eosque traductum, non liquet: tenebrae, quae cujusque fere artis prima rudimenta ac tentamina obscurant, hujus quoque artis primordia reddunt incertissima. Certi quidem historia nil de hoc tempore nobis tradidit, poetarum tantum nobis servata sunt commenta ac figmenta. Hi ipsi vero poetae summo discrepant dissidio. Alii enim Prometeo rem assignant, alii ad Cecropem auctorem eam referunt, alii ad Orpheum, alii ad Linum, plures ad Cadmum, nonnulli denique ad Palamedem. Nil igitur certi constitui potest a nobis in re, cujus verum non nisi conjectura assequi possumus, cum ad hoc indagandum omnia nobis desint auxilia necessaria; multa vero adsint argumenta, eaque non rejicienda, quae persuadeant, ut artem hanc inventum quidem habeamus Phoenicum, ab iisque forsan in Graeciam illatum, multo vero recentius, neque ita vetustum, ut vulgo ferri solet. Summum mihi semper injecit scrupulum cogitatio, qui fieri potuerit, ut Graeci ne tantillum quidem nobis tradiderint de origine progressuque hujus artis apud Phoenices, quibus secundum vulgarem opinionem ejus cognitionem debebant. Nullo enim constat auctore vetere, quo tempore primum Phoenices hanc artem tractaverint, ac cui rerum generi eam adhibuerint; ne vestigium quidem nobis occurrit usus ejus ab illis ad mercaturam adhibiti. Mirum quoque in modum tarde videmus literarum culturam apud Graecos progredi. Sed, quid dico: tarde progredi; incultam plane videmus eam manere per plura secula, ita, ut ne prima quidem

---

*) Sic testatur Herodotus, testis ocularis, L. V. 59. *ιδον τα καδμηια γραμματα πολλα ομοια εοντα τοισι ιωνικοισι*, et Hesych. ait, v. *φοινικιοις· Λυδοι και Ιωνες τα γραμματα απο Φοινικος τινος* (sc. *ελαβον*.)

tirocinia artis ponerent neque in lignis, neque aliquo metallo. Nonne mirum, artem hanc non prorsus interiisse inter homines? Magna illa etiam Graecorum incertitudo dubitatioque, ad quem ea referri debeat auctorem, non potest non reddere dubiam inveteratam illam de antiquissimo literarum apud Graecos usu opinionem. Quid vero? Si constitisset inter Graecos de Cadmo literarum inventore, num Euripides ausus fuisset Atheniensium imponere populo, transferendo disertis verbis totum hoc inventum ad Palamedem in nobilissimo fragmento, quod nobis Stobaeus servavit in Florileg. Fr. LXXXI.? Non enim adduci possum, ut hoc Euripidis effatum πρόληψιν historicam intelligam, vel peccatum adversus indolem temporis, quo heroes, quos in scenam producit, vixerunt, commissum. Quod si esset, vix inventorem nomine designaturus fuisset. Idem quoque nobis tradunt Tacitus in Annal. L. XI. c. 14. Hyginus, Dio Chrysostomus, et declamatores duo in Reiskii orator. gr. T. VIII. p. 74 et 118, qui omnes laudati non literarum nonnullarum, sed omnium inventionem Palamedi assignant. Accedit jam mala ac improba Graecorum consuetudo utiliter quaeque instituta ex ultimis temporibus repetendi, quasi antiquitatis venerandae sanctis tenebris majus etiam pretium rei adducerent per se jam utilissimae. Qui accidere denique potuit, ut graeci poetae hanc rem sollerter inventam et a Cadmo in Graeciam illatam plane non carminibus suis celebraverint. Concedam enim ad tempus, καθ' ἄνθρωπον disputans, Cadmi hoc esse meritum, quod vulgo ei tribuunt. At tum quaerere liceat, quare hoc invento ipse auctor non ornatus sit ab antiquissimis poetis, cum reliqua Cadmi vita tot nobilissimis fabulis causam dederit materiemque? Rem autem vere ita esse, nullum graecum poetam ei hanc assignavisse artem inventam, docet nos silentium poetarum latinorum, perpetuo ceteroquin Graecorum vestigia prementium; unde graecos quoque poetas nullam hujus inventi Cadmei fecisse mentionem colligi posse videtur; docet nos Apollodorus, silentio inventum hoc in bibliotheca sua mythica praeteriens, in qua ceteras tamen de Cadmo collectas videmus fabulas. Magnis quidem gaudet Cadmus auctoribus defensoribusque Dionysio

Milesio (cujus judicium paucis tantum nobis tradidit Diodor. Sicul. L. III. p. 140 edit. Stephan.) ac Herodoto; (nobilissimo illo loco l. V. c 58); neque tamen dubitare desino, an traditum hoc ab illis assensu nostro sit dignum. Omisso enim, quod historiae primis reniteremur legibus, si, in auctorum tanta dissensione, uni prae ceteris enixe faveremus, inquiramus jam diligentius, quid auctoritatis sit illis hac in re tribuendum. Dionysium Milesium me vero rejicere tanquam auctorem parum fide dignum nemo mirabitur, qui perpendat, quam parum ei concedatur auctoritatis in omnibus aliis, quae narravit: verum enim ab historico audire velim, non poetarum commenta. Quod vero ad Herodotum attinet, rem quidem hanc narrat, sed eam proponit tanquam famam aliquam suis temporibus obtinentem, nullo documentorum pondere ac fide a se adjutam; quamque adeo cuivis licet vel probare vel rejicere, suis argumentis nitenti. Itaque qui neutri parti inclinans sine ira ac studio Herodotum legere velit, inveniet, nil aliud ex eo jure posse colligi, nisi artem scribendi jam dudum ante illum inventam, ita, ut ultimis assignari possit temporibus. Quid vero? nonne exinde fit verisimile, Graecos, gnaros quidem a Phoenicibus illatas esse literas, ignaros autem, cui praesertim translatori sint tribuendae, ad Cadmum eas retulisse, traditionem tantum fabulamque secutos, haud vero historicis nisos documentis? Quid? si Graeci, sicuti duo apud eos erant Lycurgi ac Daedali, Cadmum quoque illum Thebanum, quod mihi magis etiam ad verum accedere videtur, cum Milesio illo Cadmo confuderint, coaevo Pherecydis, primam historiam prosa oratione scribente? Verum nolo diutius hanc rem urgere, quum ea potius sint expromenda, quae cogant, ut, etiamsi jam ante Cadmum illatae sint in Graeciam literae, usum earum vulgarem usque ad Olympiadum initia constanter negem. Diligentius igitur jam examinandum, quonam seculo haec ars exerceri sit coepta.

Sexto vero demum ante Christum natum seculo artem hanc tractari esse coeptam, usumque ejus magis vulgatum, historiae nos docent certae certissima indicia.

Nullam esse prorsus inter homines artem, cui perpoliendae ac cum amore studioque exercendae operam non dent homines, nisi ea, quibus ad eam tractandam utantur, instrumenta apta sint manui, itaque habilia, ut neque pondere, neque alia qua difficultate ab exercitatione eos deterreant, quis est, qui negare possit? Quanto magis vero hoc accidere oportuit in arte hac scribendi, quae initio non deliciis suis ad sui tractationem incitare poterat, in arte dico, quam homines, ut tunc temporis erant, contemnere debebant quasi rem sibi inutilem eamque molestam ac difficilem. Liquet igitur artem hanc nullam sperare potuisse propagationem, priusquam materies instrumentaque, quibus propaganda erat, promta essent parataque: usque ad seculum vero VI graphium Graecorum miserrime haesisse, constat. *) Foliis libroque arborum prima esse artis scribendi rudimenta facta, fabulosa quidem historia multis tradit exemplis, certis autem evinci nequit documentis. Tentamina vero prima in metallorum laminis lapidibusque facta esse optimis accredimus auctoribus, narrantibus, Solonis aliorumque leges ligneis ac aereis tabulis fuisse incisas. Materiae vero tam crudae, et intractabili, atque ad huc et illuc transferendum difficili, Graecos leges commisisse tantum ac pacta publica haud dubium est. Ne quis mihi objiciat, publice eos quidem tunc temporis usos esse ligno metalloque, privatim vero linteo aut membranis. Recte quidem se res habet, nonnullos veterum populorum hoc instrumento ad scribendum esse usos, certior vero historia hoc **) Aegyptiis tantum tribuit ac Pergamenis, Romanisque, quibus Hebraeos quoque adnumerat doctissimus *Eichhorn* in Introd. in Vet. Testam. T. I. §. 63, et II. §. 405. edit. Lipsiens. 1787. Utrum Graeci quoque hoc usi fuerint — de hoc

---

*) Vid. de tota hac re *Schwarz* de varia suppellectile rei librariae veterum edit. *Leuschneri.* Lips. 1756 et *Plinii* H. N. L. XIII. c. 11.

**) Apud Aegyptios jam iis temporibus florebant fabricae byssi, quibus literatura eorum adhuc penes sacerdotum νομον erat, neque inventa essent τα γραμματα δημοτικα Herodoti (L. II, 37) v. *Goguet* sur l'origine des loix T. I. p. 121. doctissimusque *Forsterus* de bysso veterum. Londini. 1776.

historia tacet. Ceratarum tabularum meminit etiam Herodotus, l. VII. c. 239, volumina vero librosque ex iis confici non potuisse cuivis patet. Tempus quoque incertum est, quo sint inventae. Sic artem mansisse rudem ac incultam ejusque usum rarissimum necesse est, donec Jones, pellibus, materie ad scribendum apta et quasi sequaci, tractandis et conficiendis viam ei aperuere ad majorem perfectionem. Haec quoque res quo tempore inventa sit, incertissimum: Herodotus memorabili loco, L. V. c. 58, tradit tantum, Jones pellibus esse usos, cum βυβλοι iis deessent, neque tamen tempus hujus usus certo definit. Sed et pellium harum ad scribendum apparatio multis magnisque impensis erat facienda; cera *) coquenda erat cum amurca, et hac μαλθη illinendae erant pelles: necessario igitur molestis impedimentis conjuncta fuit haec literarum in tabulis cera obductis scriptio, neque librorum confectio, cui tanta superanda erant impedimenta, progredi poterat, nisi lente, usquedum denique **) byblus seu papyrus, materia ad scribendum peropportuna multoque expeditior, reperta cuique facilem reddidit artem scribendi ac sine magnis impensis tractandam. Detectam vero esse hanc papyrum in Aegypto ab Jonibus versus finem seculi septimi a. C. n. ingeniosissimi *Böttigeri* acumine ita demonstratum, ut omni dubitatione vacet. Psammitichus enim, δωδεκαρχων illorum, qui Aegypti imperium tenebant, unus, qui, terra suae ditionis peregrinis patefacta, Jonum praecipue, qui hanc sibi vicinam terram commercii causa frequentabant, consilio opeque adjutus ceteros undecim armorum vi sibi subjecerat, Jonibus haud procul a Bubasti fixas attribuebat sedes incolendas. Ab his vero Jonibus ex Nili planta instru-

*) Cf. de hoc *Hemsterhus.* ad Polluc. X, 57, p. 1214 et Schol. ad Theocrit. VII, 107.

**) Egit de hoc *Böttigerus* im neuem teutsch. Merk. a. 1796. p. 133 et 310. Qui praecipue de papyro egere, sunt: *Guilandinus* in commentar. ad tria Plinii capp. Venet. 1572. In hunc vehementer invehitur Jos. *Scaliger* in Scaligerianis secundis. — *Montfaucon* sur la plante appellée papyrus dans Memoir. de l'Acad. des Inscript. T. VI. p. 594. et in Palaeographic. p. 15. — *Caylus* dans les memoir. de l'Ac. des Inscr. XXVI, p. 267. et *Wehrs* de papyro: recentum dat *Fabricius* bibl. antiq. p. 957.

mentum hoc scribendi commodissimum detectum et in Joniam Graeciamque translatum est, itaque arti scribendi via aperta, superato solo, quod hucusque ejus propagationi obnitebatur, impedimento transeundi ad usum vulgi publicum. Cum igitur vergente seculo VII papyrus esset detecta, usus ejus autem frequens incideret in incipiens a. C. n. seculum VI, recte negari posse videtur ante hoc tempus conscripta esse a Graecis volumina, materie iis haud suppetente ad scribendum idonea.

Mire in hoc idem seculum aliae quoque incidunt rei, de qua loquimur, promovendae opportunitatès; quae, si vel historia ipsa sileret, cogant nos, ut hoc demum seculo scribendi artem invaluisse et frequentatam esse credamus. Hoc enim ipso seculo prosaica oratio tractari coepta est, cum hucusque numeris et pedibus omnia fuissent vincta, prosam vero condendi periculum non prius facere poterant Graeci, quam materies ipsis suppeteret ad scribendum idonea parvisque impensis parabilis. Custos hucusque carminum sola fuerat memoria, quae miro modo metrorum spatiis adjuvabatur. Qui igitur alicui in mentem poterat venire abjicere hoc adminiculum memoriae, cujus vim infringi in hac libera verborum serie ac continuatione eum latere haud poterat, nisi aliud suppar auxilium ei esset promtum paratumque, ars scilicet scribendi? Omitto auditionem carminum aures mentesque multo acrius penetrasse et majori cum voluptate tenuisse, quam lectionem, quam sine dubio diu respuebant ingenia Graecorum delicatula et fastidiosa. Sexto hoc vero seculo rupisse Graecos vincula metrorum testantur primi prosae cultores Cadmus et Hecataeus Milesius, Pherecydes Syrius, Acusilaus Argivus, ceterique, qui hoc seculo prodierunt.

Euclide demum Archonte Athenis a Callistrato quodam jonicum alphabetum viginti quatuor literarum ad ordinem hunc certum redactum est constitutumque Ol. 94. 2. a. C. n. 403; neque ante hoc tempus Athenienses usos esse duabus longis vocalibus plures nobis tradunt auctores, digni, quibus fidem habeamus. Non ea haec adfero mente, ut plane negem, ullum scripturae usum ante hoc tempus ibi viguisse: non latet me in eadem urbe minorem

literarum numerum Draconis suffecisse legibus componendis Ol. XXXIX, neque negaverim, Jones, quibus jam annos aliquot ante Draconis imperium portus suos benigne patefecerat Psammitichus, quique primi papyri usum invenerant, prius in hanc artem incubuisse excolendam: verum nobis hic occurrunt molestissimae, neque ullo modo depellendae tenebrae, quibus seculum septimum a. C. n. involvitur, in quod tamen, a Lycurgo proximum, una cum aliis celeberrimarum artium seminibus initia artis hujus ad publica negotia adhibitae incidisse, colligere possumus ex nonnullis historiae vestigiis. Docent autem haec historiae vestigia inter usum literarum ad publicas res earumque vulgarem frequentationem multo majus, quam vulgo putatur, intercessisse temporis spatium, instrumentorum ad scribendum penuria earum propagationem cohibente. Nullum enim laudatur literarum monumentum ex hoc Lycurgeo aut proximo aevo, non liber ullus commemoratur, cujus tamen notitia ad tempora nostra ventura fuisset; ne leges quidem videmus hoc seculo literis mandatas, sed intelligendum, eas et in Graecia et in Jonia eodem modo esse promulgatas vulgatasque, quo Aristotelis aetate apud Agathyrsos fiebat, cantu modisque musicis. Primi Graecorum omnium, qui scriptas accepere leges, fuere Locri *) Epizephyrii, quibus Zaleucus imperabat, quem Eusebius ponit florentem Ol. XXIX annos 70 aute Solonem, itaque incidit in seculum a. C. n. sextum medium.

Recte jam mihi ex omnibus, quae hucusque disserui, colligi posse videtur, seculo quidem septimo extremoque octavo a. C. n. literas a nonnullis civitatibus Joniae magnaeque Graeciae ad publicos usus esse adhibitas, forsan quoque adeo sub finem seculi septimi a viris nonnullis ad carmina sua brevissima designanda: si vero agatur res de universa Graecia et frequentiore usu et exercitatione artis, qualis ad carmina quindecim mille versuum literis designanda fuerit necessaria, hanc universam propagationem non removendam

*) Hoc testantur *Scymnus* in Periegeticis. 313. *Strabo* VI. p. 259. Cicero ad Attic. VI. 1. de Lgg. II. 6.

esse a seculo a. C. n. sexto i. e. temporibus Thaletis, Solonis, ceterorumque, qui vulgo *sapientium* nomine condecorantur. Quaestioni meae propositae si haec omnia disputata adapto, sequitur inde necessario, Homerum, cujus aetatem, ducem secutus *Koeppenium* (de Homeri vita carminibusque p. 18.) centum quadraginta annos pono post bellum trojanum h. e. mille viginti et quatuor annos a. C. n. scribendi artem cognitam quidem jam habuisse, eam vero, in primis adhuc versantem incunabulis, carminibus suis adhibere non potuisse. Et fortassis mirum videri non debet, quod eam ne commemoraverit quidem, quum tantum, quantum deinceps praestitit, sui usum in his ipsis incunabulis de se sperare vix iuberet.

Periclitatus jam sum, quousque in quaestione hac discernenda progredi potuerim, communis tantum historiae prosequendo vestigia, haud adhibita ipsius Homeri ejusque interpretum auctoritate. Jam vero, cum, quae ex pristinorum temporum ratione derivare ausus sim, sententiae meae faveant, age, accedam ad Homerum ejusque interpretes de hac lite inquirendos.

Nullus fuit in Graecia eruditus interpres Homeri, qui artem scribendi in ejus carminibus esse putaverit commemoratam. Si enim veterum illorum, quorum sententias congessit Eustathius, aliquis alicubi contraria usus esset sententia, qui accideret, ut eam Eustathius, verborum priscorum quam morum peritior, in aliqua prolixi sui commentarii parte non commemoraret? Neque vero Scholiastarum aliquis, neque Eustathius ipse quaerunt, num Homerus artem noverit, cujus heroes ejus sint imperiti; haec res igitur ab iis neque affirmatur, neque negatur. Haud dubie igitur Alexandrinos criticos primos vexavit haec lis; et, si quid auctoritatis nobis est, ut ambiguum illud Scholiastarum silentium nostram in partem trahamus, illorum hoc debemus disquisitionibus. Narrat nobis Josephus, gravissimo loco contra Apionem I. *) 2. p. 239, tradi: Homerum arte scriptoria non usum in pangendis

*) Ipsius Josephi apponam verba: refutata enim opinione eorum, qui usum literarum antiquissimum putent. dicit. *και φασιν ουδε τουτον εν γραμμασι καταλιπειν την αυτου*

carmiminibus, eaque, primo memoriter propagata, postea hanc formam adscivisse tenoremque, ac propterea in eo multas obversari varias lectiones. Testimonium hoc quidem est unicum hac de re disertis verbis latum, dignum quidem jam per se nostra comprobatione, quod adversus doctissimum Homeri interpretem scriptum sit. Neque, quantum nobis constat, exstitit quisquam contrariae hujus opinionis exprobator vel refutator. Eo majore vero nobis valere debet auctoritate pondereque ad quaestionem hanc discernendam, cum, ut ex iis, quae paullo ante dixit *) Josephus, recte effici posse videtur, eum Alexandrinorum hac de re latam sententiam judiciumque innuere. Magnum huic, quod Josephus tradit, pondus addit Scholiast. ad Dionysium Thracem, discipulum Aristarchi, primum inter criticos alexandrinos locum obtinentis, in Villoison. Anecdot. gr. T. II. p. 182: ην γαρ ως φασιν απολομενα τα του Ομηρου, τοτε γαρ ου γραφη παρεδιδοντο, αλλα μονη διδασκαλια, ως αν μνημονι φυλαττοιντο κ. τ. λ. Hic quoque, ut videtur, per φασιν intelligere videtur alexandrinos illos. Itaque non desunt aliqua saltem diserta historica documenta, Homerum, aut si malit quis, poetas carminum illorum auctores, non usos esse arte scriptoria.

Videamus denique, quid ipse nobis allaturus sit Homerus, si neutiquam cupide, sed severas Grammaticae leges sequentes, eum interpretemur. Reperiuntur *duo* tantum loci in *tota* Iliade (nam in Odyssea nullus exstat), quibus vulgo ars scribendi inesse putatur. Iis autem nil inesse, quod ad hanc artem pertineat, eosque non magis intelligendos de hac arte, quam Ciceronis illum locum de Natura Deor. L. II. c. 37. §. 93. de typographia nostra, justa evincet horum locorum interpretatio. Alter illorum legitur

---

ποιησιν, αλλα διαμνημονευομενην εκ των ασματων υςερον συντεθηναι, και δια τουτο πολλας εν αυτη σχειν τας διαφωνιας: το Φασιν h. l. sine dubio ad Alexandrinos, quos antea innuit, pertinet.

**) Sunt ejus verba haec:

οπου γε και περι των επι Τροιαν τοσουτοις ετεσι ςρατευσαντων υςερον γεγονεν πολλη τε απορια και ζητησις, ει γραμμασιν εχρωντο, (sine dubio apud Alexandrinos) και ταληθες επικρατει μαλλον περι του την νυν ουσαν των γραμματων χρησιν εκεινους αγνοειν.

Il. η. 175: describitur ibi sortiendi ratio, qua is sit eligendus, qui cum Hectore certamen sit initurus singulare, et Homerus v. 175 utitur verbis: οι δε κληρον εσημηναντο εκαστος. Gravissima vero adsunt argumenta, quae cogant nos, ut literarum obliti hoc σημαινειν de signo accipiamus, quod insculptum erat sive ligno, sive aeri, sive pellibus; nam. 1) ut literarum notae fuerint, nonne sequeretur inde heroum quemvis aeque atque praeconem cognoscere debuisse Ajacis nomen, si usus earum ita vulgatus fuerit? — At v. 183 sq. traditur praeconem, signum hoc incisum, quod ipse non intelligeret, omnibus monstrasse Achivis, qui nec ipsi hoc cognoverint, usque dum ad Ajacem venerit, qui signum hoc suum agnoverit. 2) paullo audacius hoc loco verbum σημαινειν dictum esset *scribendi* significatu. Quantum enim scio, neque seriorum quis, neque posteriorum poetarum hac vi hoc verbum adhibuit, sed semper est id. q. χαρασσειν. Diserte quoque explicatur v. 187 verbo: επιγραψας, quod vero non nisi de literis rudibus materiis incisis usurpatur. 3) Scholiastae et Eustath. ad h. l. ita explicant: Schol. antiquus cod. A ad v. 187 ait: ου γραμμασι της λεξεως, αλλ' εγχαραξας σημεια, item Eustath. p. 674: ου γραμματα νοητεον τα τοιουτα σηματα, ειδωλα δε τινα απλως, η εκτυπωματα εν υποκειμενῳ ευτελει, η λιθιδιῳ τυχον, η ξυληφιῳ, η τοιουτῳ τινι. Liquet igitur non literarum h. l. fieri mentionem, sed signorum, quae quisque heroum tabulae suae insculpsit. Impeditior quidem alter est locus Il. ζ, 168 magisque, quod me non latet, aptus ad fallendos eos, qui, non plane homerici aevi assueti moribus, ex sui temporis indole eum interpretantur. Qui vero eum volutat, observata temporum, qualia tum erant, conditione, nil inveniet in hoc loco commemoratum, quod nobis adversetur. Narrat illo loco Homerus Proetum Bellerophonti, ad socerum suum Jobatem in Lyciam misso, dedisse symbola quaedam mortifera, tabulis incisa,

— — πορεν δ' ογε σηματα λυγρα
γραψας εν πινακι πτυκτῳ θυμοφθορα πολλα.

Inter σηματα vere h. l. non esse epistolas, quales nos scribimus, intelligendas, docent nos 1) verb. γραψαι quod, ut supra jam monui, apud Homerum non occurrit nisi de literarum notis rudi materiei insculptis. 2) verbum δειξαι v. 170.

Quis enim sibi persuadeat, Homerum, significatuum propriorum in verbis observantissimum, sensu *monstrandi* sive ostendendi verbum de epistola *reddenda* usurpasse? Mire autem vocabulum concinit cum verbo σημα, si, ut loci sensus, verbi proprietas, linguaeque indoles poscit, de symbolo aliquo interpretemur. 3. Denique ita explicari jubet omnium fere Scholiastarum consensus, interpretantium γραφειν per χαρασσειν, ξεειν, σημεια per ειδωλα τινα, πινακα denique per σανιδα sive ξυλαριον; quorum explicatio eo majore digna est auctoritate, cum hi tantum absint alias, ut aevi homerici indolem in singulis cognitam habeant, ut potius sui temporis mores et cogitandi rationem ad illud saepe transferant: cf. Eustath. p. 632 et ad Odyss. p. 1926 lin. 40 et p. 1959 lin. 57. Apollodorum *) quoque, qui in biblioth. sua mythica hanc Bellerophontis fabulam narrat, per σηματα non epistolas intellexisse, sed symbola ac signa quaedam, ex ejus verbis apparet. Qualia autem haec signa fuerint, haud constat. Sine dubio ex more illius temporis signa illa erant nota, cuivis familiae propria, inter quas de iis convenerat: ut *Merianus* sollerter conjecit l. c. p. 525 sqq. Pertinet huc quoque Plinii locus H. N. L. XIII. c. XI. s. 21 et c. XIII. s. 27. Dicit ibi: usum pugillarium ante trojana tempora apud Homerum inveniri, neque epistolas Bellerophonti esse datas, sed codicillos i. e. pugillares. Diligente igitur jam homerici utriusque loci examinatione facta, in iis videmus artis scriptoriae nullam fieri mentionem. Sic in toto Homero ut locum e *Wolfii* disquisitionibus huc transscribam, omnia rei momenta breviter quidem, sed simul graviter ac sollerter colligentem "nusquam vocabulum occurrit scribendi, nusquam libri, nusquam lectionis, omnia in tot millibus versuum ad audiendum, nil ad legendum parata, nulla pacta aut foedera nisi palam, nullus veterum rerum fons

---

*) Apollodori (L. III. c. 3. §. 1.) verba sunt: Προιτος εδωκεν αυτῳ επιστολας προς Ιοβατην κομισειν εν αἱς ενεγεγραπτο Βελλεροφοντην αποκτειναι. Ιοβατης δε επιγνους. — — Homeri igit. σηματα mutavit in επιστολας propriam hujus verbi vim usurpans. Verbum vero επιγνωναι certissimam nobis hanc Apollodori facit sententiam. Nunquam enim de lectione occurrit, hoc est αναγνωναι: mire autem congruit cum τοις σημασι.

praeter memoriam, famam ac illi terata monumenta, exinde Musarum, memorum dearum, diligens et in Iliade enixe repetita invocatio (v. Wood l. c. p. 230 versionis germ.) nullus in cippis et sepulcris, quae interdum commemorantur, titulus, non aes signatum aut facta pecunia, nullus usus scripti in rebus domesticis ac mercatura, nullae denique epistolae, quarum si usus valuisset in Ulyssis patria, aut nullam plane haberemus Odysseam, aut multis saltem libris breviorem." Ipse igitur summum ad litem dirimendam nobis affert Homerus momentum, silendo plane de his literis. Quas si adhibuisset, non silentio fuisset praetermissurus, cum omnes alias apud eum celebratas videamus artes, quae quidem suis temporibus notae erant insignesque.

Plane vero incredibile esset unius tantum vel singulorum memoria propagata atque adeo conservata esse carmina tantae molis temporibus illis, quibus scribendi nondum vigebat ars, nisi frequentissima, quae olim obtinebat, consuetudo e memoria aliorum carmina recitandi, totaque rhapsodorum vita hoc probaret. Nonnulla tantum ex horum moribus *) a me monita copiam mihi praebebunt omnes plane evellendi scrupulos, quibus nonnullorum assensus cohibetur. Dabant nempe hi ἀοιδοί, quorum ordinem fuisse constat insignem, operam enixam ediscendis auditione, frequentione ac exercitatione carminibus poetarum excellentioribus, quae popularibus suis placitura putabant. Nec vero in Homericorum tantum carminum studia incumbebant, quod graviter errantes quidam statuunt, sed in omnia carmina, ad quemcunque auctorem essent referenda, dummodo vim poeticam spirarent atque ingenium. His igitur diebus festis recitandis ἀοιδοί hi non tantum amorem civium suorum, sed opes quoque sibi colligerunt. Erant quoque interdum poetae probabiles, parvaque addere amabant prooemia carminibus, quae recitabant. Ex his prooemiis, quibus preces ad deos fusae continebantur,

---

*) De rhapsodis v. S. T. *Dresigius* in comment. de rhapsodis. Lips. 1754. *Gillies* history of Greece Vol. I. c. VI. *Heynius* ad novam Homeri editionem T. VIII. p. 792—99.

magna sine dubio hymnorum pars fluxit, qui Homero vulgo tribui solent. Non admiranda est igitur amplius cum *Wiedeburgio* (l. c. p. 143) et *Harlesio* (l. c. p. 354) stupenda memoriae capacitas, quae tantorum carminum molem memoriae et ingenii vi servare potuerit. Non enim nobis nunc agendum de raris quibusdam naturae prodigiis, sed de ordine hominum toto, totam per vitam uni vacantium arti carmina ediscendi atque divulgandi: nec metienda nobis est, ut jam Plato, philosophus divinus, monuit in Phaedro p. 274, haec animi facultas eorum temporum modo, quibus infringatur ejus vis necesse est subsidiorum apparatu. Eaedem illae literae quae disciplinis profuere, obfuere discentibus. Neque apud Graecos solos hujusmodi homines exstitere. Tales apud Hebraeos floruere scholae, quae dicebantur *) Prophetarum, quibus constat juvenes, praestantioris ingenii, rerum divinarum cognitione rerumque humanarum disciplina imbutos, occupatos fuisse carminibus aliorum ediscendis, propriisque pangendis. Tales illi erant Bardi, Scaldri, Druidaeque, de quorum postremis Caesar in bello gall. VI. 14. ac Pomponius Mela III, 2. tradunt: viguisse apud eos disciplinas, in quibus nonnulli ad vicenos usque annos manserint, magnumque ibi edidicisse numerum versuum haud descriptorum, memoriae tantum freti auxilio: similes hi plane veteribus illis Graecorum Hebraeorumque vatibus.

Talis denique Ossianus exstitit, in eo plane referens Homerum, quod neque arte hac ad carmina sua sit usus, neque ejus nobis sint servata carmina literarum ope, sed memoriae tantum auxilio.

---

*) De his v. J. F. *Nachtigall* in comment. ueb. Samuels Saengerversamlg inserta dem Magaz. für Exegese, Religionsf. u. Kircheng. T. VI. fasc. I. p. 38. praemissa quoque Psalmis a Nachtigallo in linguam germanam translatis.